

DE CONSTITUENDO VEL NON «IMPEDIMENTO DECEPTIONIS» IN IURE MATRIMONIALI CANONICO

Inter auctores post promulgatum Codicem Piano-Benedictinum commentaria iuris canonici matrimonialis scribentes memoratu digni sunt cl.mi *F. Schönsteiner*, Austriacus, et *F. Triebis*, Silesius, qui in suis operibus respectivis¹ fieri postulant, ut lege positiva sanciatum nullum esse matrimonium sicubi alterutra pars dolo decepta seu in errorem ignorantiamve inducta consenserit. Recentissimis hisce temporibus cl.mus *H. Flatten*, item natione Germanus, in universitate Tubingensi ss. canonum Professor, binas edidit disquisitiones eruditione, circumspicientia studioque praestantes quibus Legislatorem impense flagitat, ut in futuro Codice "repetitae praelectionis" de nullitate matrimoniorum ex errore ignorantiae, dolo alterius partis causato contractorum caveatur². Cui, ex parte saltem, astipulatur cl.mus *J. Bánk*, Hungarus, in suo opere egregio nuper in lucem edito³.

Priusquam ad propositiones "de lege ferenda" mentem admoveamus, in memoriam redigere iuvabit ea de quibus circa errorem qualitatis dolose causatum *historico-iridice* constat.

Stabile est can. 1.083, § 2 ius vetus ex integro referri. Vigen disciplina ergo cum statutis Decreti Decretaliumque (C. 29, 1, § 2; C. 29, 2, 4 et 6; X. 4, 9, 2 et 4) minime discrepat, vim matrimonium irritandi errori dumtaxat circa conditionem servilem illique in errorem personae redundanti tribuens. Addit vero *Glossa* in qu. 1am Causae XXIXae, ad v. *quod autem*: "Similiter et Papa posset constituere, quod error qualitatis impediret." Quod tamen, de facto, Papa nunquam constituit. Nulla fuit, ab antiquissimis temporibus, in Ecclesia lex quae matrimonium ob alium qualitatis errorem atque illum conditionis servilis eumque in personam reduntantem invalidavisset⁴. Primus qui con-

¹ F. SCHÖNSTEINER, *Grundriss des hirschlichen Eherechts*, editio altera, Vindobonae 1937, pp. 572-575.

F. TRIEBIS, *Praktisches Handbuch des geltenden kanonischen Eherechts*, vol. III, Vratislaviae 1929, p. 475.

² H. FLATTEN, *Irrtum und Täuschung bei der Eheschliessung nach kanonischem Recht*, Paderbornae 1957.

Idem, Der error qualitatis dolose causatus als Ergaenzung zu c. 1083 § 2 CIC, in: *Oesterreichisches Archiv fuer Kirchenrecht*, an. XI (1960), pp. 249-264.

³ J. BÁNK, *Connubia canonica*, Romae-Friburgi/Brigoviae-Barcinone 1959, pp. 359-360.

⁴ J. FREISEN, *Geschichte des kanonischen Eherechts*, ed. alt., Paderbornae 1893, p. 300.